Quæstio

Pourquoi certaines Tumeur doivent etre extirpées, et dautres simplement ouverte; dans l'un et l'autre de ces operations, quels sont les cas ou le Cautere est preferable a l'instrument tranchant, et les raison de preference.

Solutio

In enodandis quæstionibus propositis ante omnia hanc de Tumoribus in genere præmittimus definitionem: Quod sint affectus corporis humani tales, in quibus hujus aliqua pars præter naturam elevatur.

Hanc autem partis cujusvis præter naturam elevationem concipimus fieri duplici modo; quando scilicet vel partes solidæ liquidis continendis destinatæ, quales sunt omnis generis vasa, folliculi et alia, à suis liquidis præter naturam distenduntur, vel etiam liquida extra consueta loca alicubi obhærentia solida expandunt.

Ad curandos hos affectus et partes in statum naturalem reducendas varia equidem tam ex Chirurgia, quam medicina desumta adhibentur remedia,

de quibus autem hic non solliciti sumus, tumores tantum eatenus considerando, quatenus duarum operationum chirurgicarum alterutra egent, exstirpatione scilicet vel simplici apertura.

Ope harum operationum tumoris curam suscipientes id nobis proponimus ut quicquid alicubi præter naturam obhæret ac tumorem constituit, inde auferamus simulq hujus regenerationem, quantum fieri potest, impediamus.

Si jam quæratur cur quandoque hoc fieri debeat per exstirpationem potius, quam simplicem aperturam, ad id responsuris necessarium erit, ut examinemus. 1.° qua ratione omnes in genere partes molles affici possint, ut hac opus habeant operatione. 2.° quid fabrica peculiaris affectæ partis ad tumoris naturam contribuat.

Corporis humani partes molles considerare possumus tanquam compositum ex liquidis atque solidis.

Liquida possunt vel intra propria vasa varias ob causas stagnare, et vario modo mutari, vel etiam ex propriis vasis in alia ipsis transmittendis inepta impelli, vel denique ex vasis in interstitia membranosa effundi.

Solida autem liquidis plus justo alicubi congestis facile cedunt, et praeternaturalem patiuntur expansionem.

Ex hac dispositione liquidorum atque solidorum a variis causis varios omnino oriri posse tumores perspicimus.

Jam vero in quovis tumore cognito hactenus in corpore humano si operatione chirurgica auferri debet, requiritur, ut omne in illo praeter naturale existens tollatur, ita ut circulatio libera humoribus per solida naturaliter constituta tumenti loco restituatur.

Omnis tumor chirurgicas operationes admittens aliqua superficiei corporis humani parte plus minus elevata se se manifestat, jam si omnia ea, quae

vel ratiocinio, vel experientia de natura tumoris innotescere possunt, nobis persuadent, quamvis aperta parte tumente, superius requisita ad perfectam tumoris curationem obtineri non posse, utique de exstirpando tumore erit cogitandum.
Hoc autem contingit, ubi ex natura tumoris colligere licet, post ejus aperturam ea quæ tumorem constituunt, nec ab arte, nec ab ipsa natura omni ex parte tolli posse, vel ubi aliquem quasi fontem habent tumores, unde, semel ablato præternaturali, denuo nova prodeat materies ad formandum tumorem, vel denique, ubi post aperturam quod superest immutabile ab omnibus adhibitis remediis existit.
Ejusmodi ferè esse constat illos tumores, quos vulgo cysticos appellant, quibus varia ob variam in iis contentam materiam imposuerunt nomina: ut meliceridis, steatomatis, atheromatis etc.
Horum tumorum materia tantum

à naturali statu aliena est, ut rarissime
ullam admittant in eum mutationem,
unde quamvis ex parte iis ablatis, nulla
ratio reddi potest, cur reliquum jam
potius, quam antea totus tumor queat
corrigi aut dissipari, et praeterea, expe-
rientia quoque teste, regenerationis me-
tus nunquam deponendus.
Dantur tamen etiam tumores, qui,
quamvis causae recensitae non omnino
suadeant illorum exstirpationem, nihilo-
minus hanc exposcunt operationem,
quoniam temporis ratio habenda, citoque
auferendus tumor, ne totum corpus
per diuturniorem curandi modum pe-
riculum subeat. Hi autem sunt Tumores
in partibus externis à contagio aliquo,
uti venereo, excitati, quorumque causa
non in tota massa sanguinea haeret,
sed ubi affectus talis externus subsistit
in eo tantum loco, ubi contagium fuit
applicatum. Si autem infecto jam

corpore demum percipiuntur tumores in ~~—~~ partibus externis, tunc exstir-
patio facile locum non inveniet, imprimis si eam, ut non nullis in usu est, tumori in abscessum abeunti, vellemus adhibere, natura enim per ejusmodi tumorem materiam morbificam ex corpore conatur eliminare, quem naturæ conatum utique præmatura extirpatione impediremus.

Si denique jam memoratis aliisque modis partes affectæ requirant exstirpationem, eo in casu omnium maxime illa erit necessaria, ubi alicubi solida et liquida plane cum vicinis partibus omni destituuntur comercio; non solum enim pars hoc modo affecta nullam in statum naturalem reductionis spem relinquit, sed necessario vicinis partibus sensim quoque mortem affert; hoc autem tumoribus sphacelo correptis proprium esse nulla eget probatione.

Omnia jam recensita in quavis parte molli oriri possunt, ubi continuo cursu liquida per suos canales fluunt, et ubi immediate suum liquidum unius canalis alteri infundit; aliter autem praeterea dantur fabricatae partes in corpore humano, ubi scilicet liquida non ita im̃ediate ex uno canali in alterum transeunt, sed interpositas habent cavitates; Et haec quidem est fabrica glandularum imprimis conglo,, meratarum, de quibus recentiorum exactius examen nos docet, quod habeant folliculos cavos, supra quos vascula copiosa multis anfractibus et intorsionibus dis,, posita sunt, tandemque in illis hiant, unde ejusmodi cavum aliquatenus extra circulationem positum, si liquidum in illo durescat, obstructio fit difficulter resolvenda, impetus quippe sanguinis circulationis lege circumacti huc non pertingit, sicque materia his obhaerens

iners plane redditur tandem, et glandu-
losae parti, tale affert malum, quod
nullum remedij genus admittit, quam
id, quod partem ita tumentem omnem
simul valet radicitus auferre. Affectus
autem qui hac ratione in glandulis
generantur sunt Scirrhi atque cancri.
Aliter tamen etiam glandularum
exstirpatio fieri potest necessaria, si
nimirum obstructio in minimis illa-
rum vasculis contingit, et sufficiens
calor liquida simul et solida attritu
continuo in pus mutare valet, ita ut
tota glandula colliquefacta quasi, ad
functionem suam inepta reddatur. Tales
autem glandulas felici cum successu
exstirpatas quandoque fuisse optimorum
practicorum experientia constat.
De omnibus autem tumoribus exstir-
pationem requirentibus in genere no-
tandum, quod ratione loci et partium

vicinarium quandoque illa difficillima si non plane impossibilis reddatur, quos casus tamen non ita exacte definiri posse existimo, sed aliquid relinqui debere dexteritati operatoris, cui hæc dijudicanda.

Exstirpatio præter alia incommoda semper fere affert notabilem substantiæ deperditionem parti affectæ, corpori humano autem eo melius consulitur, quo magis hanc ~~[illegible]~~ possumus conservare; hinc magna cum cura Chirurgus rem expendere debet, antequam hanc admittat operationem, probe prius examinando annon simplici apertura scopum liceat attingere.

Itaque si ex omnibus signis circa tumorem colligere possumus, omnia ea, quæ in tumoribus exstirpationem exposcentibus adsunt, in hoc tumore non reperiri, utique mitior hæc operatio erit præferenda.

patebit hoc si attendamus ad locum
affectum, ad materiam tumorem con,
stituentem, et denique etiam ad causam
producentem ipsum tumorem.
Aperturam simplicem locus tumens
ferè indicabit, si ita comparatus, ut
hac facta per eam liceat undiquaque
quicquid adest præter naturam edu,
cere, ut etiam instrumenta vel me,
dicamenta, quibus reliquum curationis
absolvi debet, ritè possint applicari,
omniaque tandem ita dirigi, ut na,
tura in restituenda parte affecta
opus suum peragere queat. Si porro
materia in tumore contenta sit satis
fluida et apta quæ per satis magnum
vulnus egredi possit, ut sunt pus,
sanies, serum, sanguis item sincerus,
de quibus judicare licebit ex cognita
causa tumorem producente, quæ utique
alios producit effectus si interna, aliosq;

Si ~~externa~~ et violenta fuerit.

Quæritur tandem etiam, quinam sint illi casus in quibus utraque operatio cauterio potius instituenda quam scalpello? Hic puto ante omnia responderi posse, hosce casus esse rariores, ubi enim temporis ratio habenda, scalpello citius omnino rem peragimus, ægroque hic præ illo promtius affert ~~[illegible]~~ levamen; porro quoad longitudinem et profunditatem pro lubitu actionem scalpelli moderare potest chirurgus et quæ sunt alia, interim tamen quandoque vel per accidens saltem, vel etiam per se cauterium scalpello est præferendum.

Dantur casus, ubi idem imo plus præstaret scalpellum, quam cauterium, sed ubi tamen certæ circumstantiæ illius usum non concedunt; ubi scilicet ratio habenda subjecti ferrum omnimodè

12.

aversantis, quales sunt infantes teneriores, foeminae et etiam viri meticulosi valde et pusillanimi, quibus invitis ac reluctantibus si sectionem administrare vellemus convulsiones aliaque gravissima excitarentur symptomata. Quantum tamen in his tribuendum aegrotanti sollicitae expendet peritus in arte magister. Possunt autem per se quoque locum habere caustica, ubi tumores sensim erosione partim, partim suppuratione curam admittunt, vel etiam ubi praemissa sectione hisce remediis quod restat seminortui aufferendum et inter partes vivas commercium restituendum.